A. Gr. b.
440

A. gr. b. 440

(Apollodor.)

Mitscherlich

VR

Auct. Gr. Vet. 139. p. 586.

4 XI. 1923.

EPISTOLA CRITICA

IN

APOLLODORVM

AD

VIRVM ILLVSTREM

CHR. GOTTL. HEYNE

ACCEDVNT NONNVLLA

IN

STATIVM ET CATVLLVM

AVCTORE

CHR. GVIL. MITSCHERLICHIO.

GOETTINGAE
apud Viduam ABR. VANDENHOEKII.
MDCCLXXXII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

VIRO PERILLVSTRI

CHRIST. GOTTLOB HEYNIO

MAGNAE BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS AVLIC. ELOQV. ET POES. P. P. O.
IN GEORGIA AVGVSTA, EIVSQVE
BIBLIOTHECARIO cet.

FAVTORI

ATQVE

PRAECEPTORI SVO

OMNI PIETATIS CVLTV

PROSEQVENDO

Cur ad Te potiſſimum, Vir illuſtris, hasce ſtudiorum meorum deferam primitias, non eſt, quod, quae me ad hoc impulerint, cauſas longius circumſpiciam. Tantum enim abeſt, ut temeritatis atque impudentiae crimen incurriſſe videar, ut potius ingrati animi notam ſubirem, niſi aliqua ſaltem ex parte aes, quod per hos ipſos tres annos contraxi, alienum diſſolverem. Ex quo enim tempore mihi contigit eſſe tam felici, ut Tuo judicio dignus viderer, qui Seminarii philologici adſcriberer ſodalibus, dici vix poteſt, quan-

tam ex eo voluptatem animo ceperim, quod a Tuo ore pendere, Tuaque, quae paucis admodum, quos aequus amavit, *data eſt, rectiori inſtituendi ratione uti liceret. Sed, ne in campum laudum Tuarum, in quem me delatum video, longius digrediar, et mea me abſterret ingenii tenuitas, quum vel maxime diſertum deſtituaeret oratio, et vero, recenſendi eas, Tua me prohibet modeſtia. Jam vero, quum Te cum maxime in recenſendo Apollodoro intentum eſſe viderem, ſymbolam quandam criticam conferre eamque Tuo judicio ſubjicere apud animum conſtitui; quae ſi Tibi, qui longo uſu atque experientia rectum de hoc litterarum genere judicium ferre didiciſti, non prorſus inutilis atque repudianda videbitur, maximos lucubratiuncularum mearum me cepiſſe fructus, arbitrabor.*

L. I. IX. 2. p. 38. ed. Gal. Ἀθάμας δὲ κτίσας Ἀθαμαντίαν (f. Ἀθαμανίαν e Strab. IX. p. 675. Steph. Byzant. h. v. et Schol. Lycophr. v. 20) — — ἐγέννησε Λεύκωνα, Ἐρύθριον, Σχοινέα, ΠΤΩΟΝ. In nomine Ptoi variant Scholiastae. Schol. ad Lycophr. l. l. et Apollonii II. 1174. exhibent Τιττώνα, et Ποῖον, ut adeo, quodnam sit ejus verum nomen, vix habeas dicere. Sed dubitationi vix locum relinquit locus Pausan. IX. c. 23. εἶναι δὲ Ἀθάμαντος καὶ Θεμίστος παῖδα τὸν Πτῶον, ἀφ' ἧς τῷ τε Ἀπόλλωνι ἐπίκλησις, καὶ τῷ ὄρει ὄνομα ἐγένετο ὡς Ἄσιος ἐν τοῖς ἔπεσιν εἴρηκεν.

Cf. quoque Tzetz. ad Lycophr. v. 264. ubi addit, monti quoque Boeotiae inditum fuiſſe hoc nomen, quod Latonam, ibi parere cupientem, aper interveniens ἐπτόησεν. cf. et Strab. IX. p. 633. Steph. Byz. in voc. Ἀκραίφνια.

I. 9. 16. p. 48. εἴτε διὰ μῆνιν Ἥρας, ἵν' ἔλθοι κακὸν Μήδεια Πελίᾳ, τὴν γὰρ Ἥραν ἐτίμα. Verba ἵν' ἔλθοι κακὸν Μήδεια Πελίᾳ, profecta eſſe ab Apollodoro vix mihi quisquam perſuadebit, quippe quae orationis ſeriem turbant, nec quicquam ad rem faciunt. Accedit alia, quamque praecipuam putem, qua haec a textu abeſſe malim, ratio. Verborum nimirum eam in hoc loco ſtructuram, orationisque colorem deprehendere licet, quem omnino ſoluta reſpuat oratio. Nam ἔρχεσθαί κακόν τινι poetis tantum eſt uſitatus loquendi modus. Homer. Odyſſ. Γ. 306.

Τῷ δὲ οἱ ὀγδοάτῳ κακὸν ἦλυθε δῖος Ὀρέστης
Ἆψ ἀπ' Ἀθηνάων.

Inpri-

Inprimis vero tragicis frequentata eſt haec loquendi ratio, adeo, ut, exempla congerere in re ſatis nota, putidum foret. Niſi me omnia fallunt, deprehendiſſe mihi videor verſum antiquioris poetae, quem Grammaticus aliquis margini libri ſui adnotaverat; ſaltem dicendum eſt, verba

ἵν' ἔλθοι κακὸν

finem verſus conſtituiſſe. Infra l. III. p. 239 ed. Fabr. eadem ſententia occurrit, omiſſo tamen ejusmodi inſerto: ἀυτὴ κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης, ἐ γὰρ ἀυτὴν ἐτίμα. — quo loco noſtra aliquantum ſtabiliri poſſe videtur opinio.

I. IX. 26. p. 62 ed. Gal. de Talo Cretae inſulae cuſtode: οἱ δὲ Ταῦρον ἀυτὸν λέγεσι. Semper mihi hoc cognomen τῷ Τάλῳ ſuſpectum viſum eſt, cum in ejus deſcriptione nulla occurrat ratio, qua taurus appellari poſſit. Neſcio an mihi, Vir doctiſſime, aſſentieris, ſi pro TAYPON legendum tibi proponam OY-

PON, quo nomine hac de cauſa vocabatur, quia *Cretae cuſtos* Minoi a Vulcano datus fuerat, ut ex hoc Apollodori loco — Οὗτος ὁ Τάλως τρὶς ἑκάσης ἡμέρας τὴν νῆσον περιτροχάζων ἐτήρει. et Zenob. Cent. V. prov. 85 — τρὶς ἑκάσης ἡμέρας τὴν νῆσον περιερχόμενος ὁ Τάλως ἐτήρει. liquet. Sed ultro, puto, meam probabis conjecturam, ſi Tibi poetarum Graecorum autoritatem adferam. Sic enim in ara Doſiadae de Talo

ἦμος ἓυ ἄνδρὰ
Τὸν γυιόχαλκον ΤΟΥΡΟΝ
Ἐῤῥαισεν.

ubi Schol. ἡνίκα ἔφθειρεν ἡ Μήδεια τὸν Οὖρον, τὸν ὁρμητικὸν καὶ χάλκεον ἄνδρα, τὸν Τάλω, κωλύοντα τὲς Ἀργοναύτας διελθεῖν, ὃς ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ διώδευε τὴν Κρήτην νῆσον καὶ ἐφύλαττε. Apollon. Rhod. IV. 1643.

Εὐρώπη Κρονίδης νήσῳ πόρεν ἔμμεναι
ΤΟΥΡΟΝ

quem locum praeter alia adduxit Valken. V. Cl.

V. Cl. in Diatribb. Euripidd. c. 12. p. 133. cf. et, quem ibi laudat, Meurſium in Creta c. 24.

II. 4. 4. p. 88. Narrat Apollodorus, quomodo Perſeus Acriſium, ipſius patrem, in ludis funebribus Τευταμίδα (ſic enim rectius, puto, hoc nomen legitur apud Scholiaſt. Lycophr. v. 838 et Eudoc. in Dictionario hiſtorico-mythol. a Villoiſono publici juris facto ſub v. Περσεὺς) in patris Teutami honorem inſtitutis, imprudens diſco occiderit, — ἀγωνιζόμενος δὲ πένταθλον, τὸν δίσκον ἐπὶ τὸν Ἀκρισίᾳ πόδα βαλὼν, παραχρῆμα ἀπέκτεινεν αὐτὸν. Particula παραχρῆμα h. l. quam maxime offendit; neque enim veroſimile videtur, Acriſium ex vulnere per diſcum in ejus pedes delapſum, ſtatim exſpiraſſe, cum Scholiaſtes quoque Apollonii IV. in fin. eum tantum τιτρωσκόμενον narret. Nam Perſeum diſco venenato uſum fuiſſe, quis tandem ſibi perſuadebit? Aliter ſe res habet infra II. V. 4. ubi telum Herculis, hydrae

drae veneno perunctum, e manibus Pholi in ejus pedes delapsum παραχρῆμα ἀπέκτεινεν αὐτὸν. Sic etiam alio, qui vero non statim succurrit, Apollodori loco τὸ παραχρῆμα ante ἀπέκτεινεν positum occurrit, utque adeo non male aliquis, inde a librariis huc intrusum esse, colligere possit. Haec utcunque se habeant, mirum sane quam maxime videtur, nullam in tota Apollodori oratione occurrere particulam, qua Perseus Acrisium *imprudens* interemisse dicatur, quam equidem sic iviſse deperditum arbitror; codices depravate exhibebant πόδα βαλὼν αλων ἀπέκτεινεν α. et in margg. extabat glossa quae ad depravatam vocem ἄκων post βαλὼν pertinebat πάρα χρησμὸν (cum jam oraculo monitum fuisset, Acrisium a Perseo interemtum iri) quam deinde librarii, quum τὸ ἀλων otiosum et meram repetitionem τῦ βαλὼν a librario negligente profectam existimarent, in textum, nonnullis tamen,

men, quae, per compendium ſcripta, non exſculpere poſſent, immutatis receperunt, quum viderent, Apollodorum et alibi ſic τὸ παραχρῆμα addidiſſe. Quod ſi quibusdam haec ratio arguta magis atque longe petita videatur, non intercedo; modo mihi largiantur hoc, vocab. ἄκων, poſt verbum βαλὼν inſeri debere. Confirmat meam conjecturam Schol. Lycophr. l. c. ubi vel verba Apollodori expreſſiſſe videtur: Τευταμίδα δὲ τὸν Λαρισσαίων βασιλέως, πένταθλον ἆθλον ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς τελευτῇ, Περσεὺς ἀγωνιζόμενος δίσκῳ τὸν Ακρισίου πόδα βαλὼν, ἄκων αὐτὸν ἀνεῖλεν, καὶ ἔθαψεν αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως. Cui accedit Eudocia in Dictionario l. l. Ita quoque Apollodorus paulo ſupra: ἀλλ' Υάκινθον μὲν ὕστερον Ἀπόλλων — δίσκῳ βαλὼν, ἄκων ἀπέκτεινε.

II. V. 4. p. 105. Commemorat Apollodorus loca, ad quae Centauri, ab Hercule in fugam conjecti, contenderint.

Quae quidem a librariis quam maxime corrupta eſſe, vel ex iis, quae antecedunt, patet. Nam Centaurorum nonnulli fugam verſus promontorium Maliacum, Eurytion vero verſus Pholoen direxiſſe dicuntur, cum his ipſis in locis pugna Centaurorum cum Hercule fuerit commiſſa. Porro, quod Neptunus reliquos ſub montibus Eleuſiniis occultaſſe dicatur, hoc mihi eſt quovis nubilo obſcurius. Si montes circa Eleuſina intelligas, unde tandem probari poteſt, eos Neptuno conſecratos fuiſſe? Videamus ergo, an haec e Scholiaſtis atque ex ipſo Apollodoro melius conſtitui poſſint. Et primo quidem pro Μαλέαν equidem malim ſubſtituere Ὄμολον ſive Ὀμόλην montem Theſſaliae notiſſimum de quo videndi Schol. Theocriti Idyll. VII. 103. Steph. Byzant. h. v. Nam prius O facile abſorberi potuit ab antec. ΟΡΟC; ſed cum nulla ſcriptoris cujusdam ſuffulciatur autoritate haec lectio, res ad li-

qui-

quidum perduci nequit. Pro Φολόην vero Ὤλενον legi debere ipſe ſuffragatur Apollodor. infra: Ἡρακλῆς δὲ εἰς Ὤ-ΛΕΝΟΝ πρὸς Δεξάμενον ἦκε, κἀκεῖ κατῴκει, καὶ κατέλαβε τοῦτον μνηςεύειν μέλλοντα Εὐρυτίωνι Κενταύρῳ Μνηςιμάχην τὴν θυγατέρα. Ita quoque Galeum jam emendaſſe, nunc video. Quae vero ſequuntur de fuga Centaurorum in montes Eleuſinios, eorumque tutela ſub Neptuno, mireris ſane, ea interpretes ſicco pede tranſiiſſe. Neſcio, an omnem omnino difficultatem ſuſtuliſſe videar, ſi pro Ἐλευσῖνα, in qua voce haud dubie mendum cubat, ſubſtituam Λευκώσια. Cum paulo curioſius hac de re Scholiaſtas evolverem, incidi in locum Tzetzae ad Lycophr. 670 ubi tradit, Centauros Sirenum inſulas petiiſſe. Verba ejus, ut eo clarius illuceſcat, eum ante oculos habuiſſe Apollodorum in enarrando hoc mytho, tota huc transferre non gravabor: Ἡρακλῆς γὰρ ἐν Φολόῃ ἐπεξενώθη

Φόλῳ

Φόλῳ τῷ Κενταύρῳ, καὶ ὁ Φόλος αὐτῷ οἶνον κάλλιστον ἐκίρνα, τὸν κοινὸν τῶν Κενταύρων πίθον ἀνοίξας. ἐπελθόντες δὲ οἱ Κενταύροι καὶ γνόντες τὸ συμβὰν ἐκ τῆς τοῦ οἴνου ὀσμῆς ἐχαλέπηναν, καὶ ὁ Ἡρακλῆς τὰ τόξα λαβὼν, οὓς (scr. τὰς) μὲν αὐτῶν ἀνεῖλεν, ὡσπερ καὶ τὸν Χείρωνα ἄκων βαλὼν περὶ τὸ γόνυ· τὰς δὲ λοιπὰς ἐδίωξεν, οἱ Φυγόντες περὶ τὴν τῶν ΣΕΙΡΗΝΩΝ νῆσον ἀπόλοντο. Jam vero, illas Sirenum rupes nomen a Leucosia, Sirenum una, aliquamdiu obtinuisse patet ex Lycophrone v. 723.

Ἀκτὴν δὲ τὴν προυχθῆσαν εἰς Ἐνιπέως
ΛΕΥΚΩΣΙΑ ῥιφεῖσα τὴν ἐπώνυμον
Ὀχήσει δαρόν.

ad quos versus Schol. haec notat: ἀκτὴν πρσχ. τὴν προκειμένην εἰς θάλασσαν, λέγει δὲ τὸ Ποσειδήϊον ἀκρὸν. Λευκώσια δὲ ἡ πέτρα ἀπὸ ταύτης τῆς Σειρῆνος Λευκωσίας ἐκλήθη. confer. Ptol. Hephaest. in Photii Biblioth. edit. Andr. Schott. p. 186. 187. unde quoque discimus,

mus, petras illas conſecratas fuiſſe Neptuno, ut fere omnia promontoria, unde quoque Neptunus dictus eſt Πετραῖος. Hinc bene a poeta aliquo vetuſtiori, quem ſequebatur Apollodorus, dici poterat, Neptunum occultaſſe Centauros ſub rupibus Leucoſiis, quod hiſtoricus ſcriptor, Centauros ad petras Sirenum, Leucoſias dictas, quaeque Neptuno conſecratae erant, confugiſſe, ibi latuiſſe efferret. At jamdudum video, Te, Vir doctiſſime, male habere hoc, quod, Centauros tantam fugam per mare Jonium ac fretum Siculum usque ad Sirenum inſulas molitos fuiſſe, vero non ſit ſimile. Enimvero hoc ipſum eſt, quod meae conjecturae faveat quam maxime. Antiquiſſimis nimirum Graeciae incolis Italia erat terra, ut ita dicam, incognita, adeo, ut poetae antiquiores narrationum mythicarum ſedem tanquam domeſticam in ea ponerent. Cujus rei exempla in Homeri Odyſſea paſſim deprehendere licet.

cet. De Typhoeo ſimilia fere narrat Pherecydes in Θεογονίᾳ, eum inde a Caucaſo fuga ad Italiam acceſſiſſe. Sic enim ex eo Eudocia in Diction. hiſtorico mythol. v. Τύφως· Φερεκύδης δὲ ἐν Θεογονίᾳ φησιν, ὅτι ὁ Τύφως καιόμενος ἀφίκετο εἰς τὸν Καύκασον, ἐκεῖθεν δὲ φυγὼν εἰς Ἰταλίαν ἀφίκετο· ἔνθα καὶ τὴν Πιθηκῆσαν περυῤῥυῆναι φασιν αὐτῷ. Ex his igitur diſputatis totum Apollodori locum ſic reſtituendum cenſeo: Καὶ τινες μὲν παρεγένοντο εἰς ὄρος Ὄμολον, Εὐρυτίων δὲ εἰς Ὦλενον· Νέσσος δὲ ἐπὶ ποταμὸν Εὐήνου· τὰς δὲ λοιπὰς ὑποδεξάμενος Ποσειδῶν εἰς Λευκώσια ὄρη κατεκάλυψεν. Ceterum, poetas vetuſtiores hanc fabulam diverſis modis tractaſſe, apparet ex Strabonis l. IX. ubi Neſſi et reliquorum Centaurorum tumulus juxta Taphroſſum collem in Calydonia extare narratur, e quorum tabo deterrimus odor ſub montis radicibus profundi, et humor craſſioribus guttis promanare dicitur.

II.

II. V. 10. pag. 114. Ἐρύθεια δὲ ἦν Ὠκεανοῦ πλησίον κειμένη νῆσος, ἡ νῦν Γάδειρα καλεῖται. Vox Ὠκεανῦ. illuc mittenda est, unde malum pedem intulit. Neque difficulter adsequi licet, unde huc venerit, quum post pauca verba interposita recurrat, utque adeo ab oscitante librario huc tradueta videatur; nisi forte dicendum, in Codd. veteris scripturae vestigia tantum extitisse, quam sic restituere conarentur Grammatici. Equidem Apollodoro antiquam vocem reddi posse puto e Scholiasta Lycophr. ad v. 649. ubi notat, Gades antiquitus vocatas fuisse Κοτινοῦσαν, sic enim ille: ἐκεῖ δέ εἰσι τὰ Γάδειρα, ἃ πρότερον νῆσος Κοτινοῦσα ἐλέγετο. utque adeo Apollodori locus constituendus sit sic: Ἐρύθεια δὲ ἦν Κοτινέσης πλησίον κ. λ. Sed, re accuratius pensitata, nec haec lectio omnem difficultatem tollit, quum Geographi antiquiores Erythiam et Gades unam eandemque insulam habuerint.

quae

quas tamen diverſas et ſibi admodum vicinas fuiſſe, Apollodorum ſtatuiſſe inde colligi deberet; quae vero recentiorum tantum Geographorum eſt opinio: cf. Geſner. ad Orph. 1054. et quos laudat Drakenb. ad Sil. Ital. XVI. 195. Quum haec ſcripſiſſem, incidi in locum Euſtathii ad Dionyſ. Perieg. ubi Noſtri locum excerpſit: Γάδειρα δὲ νῆσος πλησίον τοῦ Ὠκεανοῦ, περιμήκης κ. λ. quae verba, alio quidem nomine, excitata video a Gronov. ad Steph. Byzant. v. Γάδειρα. Cum Euſtathius ita quoque in libris Apollodori invenerit, ſequitur, lectionem Ὠκεανοῦ recte habere, et Oceanum h. l. intelligendum eſſe de aliqua maris Occidentalis parte proprie ſic dicta, niſi quis, lectionem Apollodori jamdudum depravatam fuiſſe, inde colligere malit.

II. V. 10. p. 117. ἐφύλασσε δὲ αὐτὰ (ſc. μῆλα χρύσεα) δράκων ἀθάνατος, Τυφῶνος καὶ Ἐχίδνης - - - μετὰ τοῦτο δὲ Ἑσπερίδες ἐφύλαττον, Αἴγλη, Ἐρύθεια,

θεια, ΕΣΤΙΑ, Ἀρεθοῦσα. Quum Apollodorus parentum hujus draconis mentionem fecerit, mirum ſane videtur, nomen ipſius draconis ſilentio praeteriiſſe, niſi id librariorum incuria iviſſe deperditum cenſeas. Mea quidem ſententia ſcripſerat Apollodorus: ἐφύλασσε δὲ αὐτὰ ΔΑΔΩΝ, ΔΡΑΚΩΝ ἀθάνατος κ. λ. Jam apparet, quare nomen ſerpentis facile excidere potuerit. — Deinde ſuſpectum mihi videtur nomen Ἑσπερίδος Ἐσία, pro quo legendum arbitror Ἑσπερία, quae vox in Codd. per compendium litterarum Ἑσπι forſan exarata erat. Heſperiam certe inter Heſperidas nominat ex Servio Lutatius ſive malis Lactantius ad Stat. Theb. II. 281. *mala aurea, quae cuſtodiebant Heſperides Aegle, Arethuſa, Heſperie.* Ceterum haec mala aurea e terra progerminaſſe, cum Iuno Iovi nuberet, autor eſt Pherecydes apud Scholiaſt. Apollonii IV. 1397. quem ſequitur Eudocia v. Ἡρακλῆς et Ἑσπε-

Ἑσπερίδες. Alios poetas Apollodorus aute oculos habuisse videri potest, qui haec mala aurea Jovi a Junone tanquam ξένια data narrarent. —

II. VII. I. p. 128. ὁ δὲ (Ἡρακλῆς) βιασάμενος, τὴν νυκτὰ, εἶλε. Vocem, τὴν νυκτὰ, importune interpositam esse, facile pro Tua sagacitate videbis. Accedit, quod nihil ad rem faciat, quod Hercules *nocte* insula potitus fuisse dicatur, cum βιασάμενος adeoque vi aperta illam ceperit. Alii, nescio qua adducti auctoritate, pro τὴν νυκτὰ substituunt τὴν νῆσον, qua sane lectione admissa res omnis expedita videtur. Sed, quum huic lectioni nulli, quantum sciam, faveant Codd. neque ad litterarum τᾶ νυκτὰ ductus accedat, malim equidem locum, haud dubie male adfectum, molliori manu tractare, ita ut pro νυκτὰ substituam ὀκτὴν tanquam quod ad vulgatum propius accedat, si, το ν ex antecedenti adhae-

adhaesisse, et ultimam syllabam per compendium litterarum expressam, ideoque a librariis male intellectam, cogites.

II.. I. I. 147. Ζεὺς ἐρασθεὶς πίπτει διὰ τῆς θαλάσσης, Ῥόδα ἀποπλέων ταῦρος. Verbum πίπτειν jam Fabrum male habuit, qui aliquid sub hac voce latere pronunciabat. Defendit tamen, quantum potuit, Galeus, qui primo quidem e Palat. cod. vitiosa lectione πέπτει effingit κλέπτει, incommodo sensu; postea tamen, perpensis omnibus, in vulgata acquiescendum esse ait. Sed exemplum e Luciano (Dial. Mar. XV. 2. 326) petitum ἐνήχετο ἐμπεσὼν est prorsus alienum. Equidem illud πίπτειν διὰ τῆς θαλάσσης sic defendere malim, ut Jupiter ex aethere supra maris superficiem volatu delabi dicatur, donec ad Rhodum pervenerit. Sic de Mercurio Homer. Odyss. V. 50. – – Ἀργειφόντης
Πιερίην δ' ἐπιβὰς, ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ

cum

cum tamen ſupra mare volaverit. Et ſic ſaepe apud Homerum.

III. IV. 3. p. 158. *καὶ διὰ τοῦτο ἐκεραυνώθη.* Haec verba, ita uti nunc extant, e margine a librariis illata videri poſſunt, ſi tamen paulo accuratius rem conſideres, ea cum reliquis ita cohaerere videntur, ut absque his ſententiarum nexus, et orationis ſeries manca atque imperfecta videatur. Sed cuivis facile fraudem facere poteſt illud *ἐκεραυνώθη*, quod haud dubie, jubente verborum ſerie, mutandum in *κεραυνωθῆναι*, nam ultima verbi ſyllaba per compendium ducta, facillime excidere potuit. Sententiarum vero, ſi quid video, conjunctio eſt haec: Cadmi filiae in vulgus diſſeminant, Semelen a mortali compreſſam fuiſſe, culpae vero Jovis nomen obtendiſſe, *eamque ob cauſam ab ipſo percuſſam fuiſſe fulmine.* Eandem ſententiam, ad Bacchi numen deriden-

dum,

dum, profert Pentheus Euripideus Bacch. v. 242:

Ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐρράφη Διὸς,
Ὃς ἐκπυρῶται λαμπάσι περαυνίαις
Σὺν μητρὶ, δίκης ὅτι γάμους ἐ-
ψεύσατο

Quum Euripides ψεύσασθαι eadem in re adhibuerit, forsan inde colligi possit, Apollodorum ante oculos habuisse hos versus.

III. IV. 4. p. 160. Versus antiquioris poetae, qui de Actaeone canibus dilacerato agunt, a librariorum manibus, tanquam Harpyiarum spurcis unguibus, foede contrectatos esse, nec quicquam in iis integrum inveniri, in hoc facile mihi adsentieris, Vir κριτικώτατε. Neque tamen ita morosi sumus, ut cum Tan. Fabro, rem tanti non esse, pronunciemus, ut in iis emendandis, ac denuo sub incudem revocandis aliqua ponatur opera, licet, certi quid sine Codd. ope hariolando extricari posse ipse de-

 spe-

ſperem. Sed jactetur alea! Quid enim vetat perituraе parcere chartae?

v. 1-3.

Δὴ νῦν καλὸν σῶμα περισαδὸν, ἠΰτε θῆρες
Τοῦτον ἐδάσαντος κύνες κρατεροὶ. πέλας ἄρκυα πρώτη
– – – μετὰ ταύτην ἄλκιμα τέκνα

In verſu primo me male habebat hoc, quod canes cum θηρσὶ comparatos videbam, cum tamen ipſi ſint θῆρες: ideoque malebam:

Τῷ νῦν καλὸν σ. π. ἠΰτε θηρὸς

Sed locus Homeri Odyſſ. Ξ, 21 de Eumaei canibus:

Παὶρ δὲ κύνες θήρεσσιν ἐοικότες,

quicquam mutare vetat. In verbis τῷτον ἐδάσαντος grave latet mendum, quod tamen, cum nulla juvandi eam, idonea ſuccurrat ratio, aliis eximendum lubens relinquo. v. 3.

μετὰ ταύτην ἄλκιμα τέκνα

requirit nomen Canis, quae illa ἄλκιμα

τέκνα

τέκνα progenuerit. Aegius quidem voc. Πρώτη pro Canis nomine habet, vertit enim

laniant prope retia, *Prote*
Poſt alii dominum invadunt ſaeviſſima proles.

At, uti hoc nunquam pro vero habeam, ita vero mihi multo ſimilius videtur, canis nomen in v. ἄρνυα latere, hoc vel ſimili modo reſtituendum

πέλας Ἄγρια πρώτη

πέλας vero ſic abſolute poni, vel, *qui nondum aere lavantur*, norunt.

v. 4.

Λυγκεὺς καὶ βάνος πόδας ἀνετὸς ἦδ' Ἀμάρυνθος

τῷ βάνος aſteriſcum praefixit Faber, adeo, ut ipſe vix Graecum nomen habuerit. Galeus conj.

Λυγκεὺς, Ἰχνοβάτης, κ. λ.

Nos quidem, minima mutatione facta, legendum proponimus Λυγκ. καὶ Βάλιος, nam ΛΙ facile in Ν coaluerunt. Βά-

λιός vero de feris eſt uſitatum nomen Sic Achillis equus Homericus Βάλιος. Pari modo apud Ovid. Metamorph. III. *Stiƈte* inter Aƈtaeonis canes refertur.

Καὴ τότε γ' (γε inſerend.) 'Ακταίων
ἔθηνεν Διὸς ἐννεσίῃσιν

Ab hoc verſu aliud poetae fragmentum incipit, uti jam reƈte monuiſſe Galeum video. Sed et hoc turpiter coinquinatum ad nos pervenit. Adſcribam verſus, ut de noſtra emendandi ratione eo rectius judicium ferri poſſit:

Πρῶτοι γὰρ μέλαν αἷμα ἀπὸ σφετέροιο ἄνακτος
Σπαρτός τ' ὢν 'Αργός τε Βορῆς τ' ἀιψηροκέλευθος
Τῷ δ' 'Ακταίωνος πρῶτοι φάγον, αἷμα τ' ἔδαψαν

Pro ΑΠΟ legendum puto πίον, quod per litterarum compendium ſcriptum librariis erroris anſam praebuit, et α ex anteced. ἄιμα adhaeſiſſe puta. — pro ἔδαψαν egregie Ruhnk. in fragmm. Callimachh.

ſimachh. legendum proponit ἔλαψαν. Sed vereor, ne ſummus ille Vir, et noſtra laude major, omnem prorſus in emendando hoc verſu luſerit operam, quem, ſi paulo accuratius expendas, pro augmento inepti cujusdam Grammatici habendum eſſe facile mihi largieris, Vir doctiſſime; nam Ἀκταίωνος apertum eſt Gloſſema τῦ σφετέροιο ἄνακτος. Sed ut id eo magis adpareat, age videamus, quomodo ſententiae inter ſe cohaereant: πρῶτοι γὰρ, πρῶτοι ἀπ' Ἀκταίωνος, σφετέροιο ἄνακτος Σπαρτὸς κ. λ. μέλαν αἷμα Φάγον, καὶ αἷμα ἔδαψαν. Nihil addo ad meam confirmandam ſententiam, cum res mihi ſit Tecum, Vir Critices intelligentiſſime. Pari modo v. qui ſequitur

Ἀργαλέων ὀδυνῶν ἄκος ἔμμεναι ἀνθρώποισιν

a ceteris alienus eſt, uti jam vidit Faber. Omnes vero hos verſus e margine in tex-

tum tandem esse illatos, ipsorum argumenti ratio quemvis docere potest.

III. V. 5. p. 165. ἀμφότεροι δὲ ἀπὸ Ἐυβοίας φυγόντες — Συρίαν κατῴκȣν. De Syria h. l. vix cogitandum esse jam animadvertit Tan. Faber, qui *Syriam* insulam Homero *Syron* dictam. Syron sane appellatam quoque fuisse Syriam satis notum est vel ex Strabone X. p. 746 ed. Almel. Ταύτης (sc. Σύρȣ) δοκεῖ μνημονεύειν ὁ ποιητὴς (Odyss. O. 402) Συρίην καλῶν

Νῆσος τις Συρίη κικλήσκεται, εἴπȣ ἀκȣέις
Ὀρτυγίης καθύπερθε.

ad quem l. vid. Eustathii observata. At cum hoc, Lycum et Laium Syron insulam aliquamdiu incoluisse, neque e Geographicis rationibus vero fiat simile, neque e mythis historicis aliunde constet, dudum est, quod de vera hujus loci scriptura dubitaverim. Nescio an Tibi, Heyni doctissime, conjecturam meam proba-

probaturus ſim, ſi pro Συρίην legendum ſuſpicer Ὑρίην, cum το Σ facillime ex antecedent. Βοιωτίδος adhaerere potuerit. Opinionem meam qualemcunque ipſe locorum ſitus adjuvat, cum *Hyria* in ipſa Boeotia prope Aulidem ſita fuerit. Steph. Byz. Ὑρία πλησίον Αὐλίδος, ἦν δὲ καὶ πρότερον πολίδιον. Strabo l. IX. p. 620. Ἔνιοι δὲ τὰς Ὑσίας Ὑρίην λέγεσθαί φασι, τὰς Παρασωπίας ἔσαν ὑπὸ τῦ Κιθαιρῶνος, πλησίον Ἐρυθρῶν ἐν τῇ μεσογαίᾳ ἄποικον Ὑριέων, κτίσμα τῦ Νυκτέως, Ἀντιόπης πατρός. Accedit alia ratio, qua Lycum et Laium contendiſſe Hyriam duxerim, quia nimirum illi erant ἔκγονοι τῦ Νυκτέως, uti ex Strabonis l. l. et Euſtath. ad Il. B. p. 200, quibus Hyria κτίσμα Νυκτέως audit, manifeſtum fit, utque adeo tuto eo confugere potuerint.

III. V. 6. p. 168. καὶ χεῖται δάκρυα νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τῦ λίθυ. Verba haec ſine nexu Grammatico ſatis idonea

huc inducta a librariis, ſi per me liceret, ex Apollodoro exulare juberem, quae haud dubie e margine in textum tandem immigrarunt. Facili enim negotio vides, Vir πολυμαθέστατε, eſſe verſum antiquioris poetae, ſic conſtituendum

χεῖται δὲ δάκρυα νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέρην

quem doctus aliquis Grammaticus textui inſeruit addito καὶ, ut quodammodo cum reliquis cohaereret. Voc. vero τῷ λίθῳ aut initium verſus, qui ſequebatur, conſtituebat, aut, al. alio non indocto, perſpicuitatis cauſa additum fuiſſe dicendum eſt. Ceterum multi in Niobae μεταμόρφωσιν poetarum luſus extare debuere, cujusmodi eſt notum illud Agathiae apud Scholiaſten Sophoclis:

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον ἐκ ἔχει νεκύν
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐντὸς ἐκ ἔχει τάφον
Ἀλλ' αὐτὸς αὐτῷ νεκρός ἐσι καὶ τάφος.

quorum vv. elegantem verſionem vid. apud Auſon. Epitaph. Heroum epigr. 29.

29. cf. et Brunk. Anal. T. III. p. 281. et p. 214 epigr. 298.

III. VI. 8. p. 180. *Ἄδρασον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἀρίων· τοῦτον ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Δημήτηρ ἐικασθεῖσα Ἐρινυΐ κατὰ τὴν συνουσίαν.* Verba priora

Ἄδρασον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν
Ἀρίων

ex antiquo petita esse poeta, ipse orationis color, et verborum collocatio arguit. Neque tamen a poeta sic, uti nunc extant, profecta esse, sed librariis quaedam quoque in hoc deberi, non est, quod longius id mihi probandum sumam, quod quemvis metri ratio docere potest, cui quidem optime consuluisse videbar hunc in modum

Ἄδρασον μόνον Ἡρώων διέσωσεν Ἀ-
ρίων

sed, cum haec conjectura nimis a vulgata recederet, malebam

Ἄδρασον δὲ μόνον δῖος διέσωσεν Ἀρίων

Vocabulum enim ἵππος, quod aliquis tanquam gloſſam τῦ Ἄρεος libri ſui margini adnotaverat, intruſum in verſum videtur ab aliquo, qui metro conſuleret, cum τὸ δῖος per compendium litterarum, et ſequentem ſimilis fere ſoni ſyllabam ΔΙΕσωσεν abſorptum excidiſſet. Quum haec Tecum, Vir humaniſſime, communicaſſem, monuiſti me, Barthium ſimilem fere emendandi hujus verſus iniiſſe rationem, ad Stat. Theb. II. 197. legentem:

Ἄδρασον μόνον ἵππος ἔσωσεν δῖος Ἄρεως

quam emendationem probabat Burmann. ὁ πάνυ ad Propert. II. 25, 37. qui tamen in eo fallitur, quod, Barthium ita e Palat. Codice legere putabat. Idem Barthius ad Stat. l. l. ait, in margine Cod. Palat. adſcriptum fuiſſe ad hunc verſum nomen *Antimachi*, utque adeo ex ejus Thebaide depromtus videri poſſit. Hactenus quidem de vario emendandi hujus verſus

verſus modo. Jam vero, num ab ipſo Apollodoro ſit h. v., videamus. De quo quidem dubitari poſſit, cum aliis in locis verſus poetarum cum ipſorum auctoribus adducat, neque eos cum ipſa orationis ſerie connectat, uti h. l. factum videmus. Videtur igitur Apollodori bibliotheca h. v. aucta eſſe ab aliquo docto Grammatico, qui aegre ferebat, quod Adraſti mentio facta non eſſet, cum tamen aliorum heroum fata recenſuiſſet Apollodorus. Enimvero Adraſti, infra demum, et juſtiori quidem loco meminit mythographus: Ἄδρασος δὲ εἰς Ἀθῆνας ἀφικόμενος κ. λ. Hoc vero verſu ſublato, facile intelligitur, verba quoque τοῦτον ἐκ Ποσειδῶνος — συνκσίαν, quae ad Arionis genus ſpectant, tolli debere, hauſta forſan e Tzetza ad Lycophr. 153. ἡ Δημήτηρ καὶ Ἐριννὺς λέγεται — ὅτι Ἐριννύϊ ἐικασθεῖσα μίγνυται Ποσειδῶνι, καὶ γεννᾷ τὸν Ἀρίονα ἵππον. Heſych. Ἀρίων ὁ ἵππος, Ποσειδῶνος

δῶνος υἱὸς καὶ μιᾶς τῶν Ἐριννύων. Paulo aliter Antimachus apud Pauſan. Arcad. VIII. citante Barthio ad Papinii l. c.

III. X. 7. p. 201. αὐτὴν (Ἑλένην) κάλλει διαπρεπῆ Θησεὺς ἁρπάσας, εἰς Ἀθήνας ἐκόμισε. Helenam a Theſeo Athenas aſportatam fuiſſe, ex hoc unico Apollodori loco liqueret, cum ceteri ſcriptores, Iſocrates in Helenae encomio, Herodotus, Plutarchus, Diodorus, et Pauſanias Theſeum cum Helena Aphidnas contendiſſe narrent, quos ſecuti ſunt Euſtath. ad Il. γ. v. 144.

Αἰθρη Πιτθῆος θυγάτηρ Κλυμένη δὲ βοῶπις

et Scholiaſt. Lycophr. v. 143. 503. 504. ad quae loca conferendi ſunt interpretes. Et ſic quoque in Apollodoro legere maluiſſe quendam Virum doctum video in Diſſ. Miſcell. T. IX. Vol. II. p. 281.

III. XIV. 6. p. 234. Aegeo, oraculum περὶ παίδων γονῆς conſulenti, reſpondit Deus:

Ἀσκὸ

Ἄσκει τὸν προὔχοντα ποδάονα, φέρτα-
τε λαῶν,
Μὴ λύσῃς, πρὶν ἐς ἄκρον Ἀθηναίων
ἀφίκῃαι

Iisdem fere verbis relatum legitur apud Euripid. Medea v. 679.

Ἄσκει με τὸν προὔχοντα μὴ λῦσαι πόδα,
— — — — —
Πρὶν ἂν πατρῴαν ἅυθις ἑσίαν μόλω.

ubi Scholiaſtes idem oraculum in medium profert, ſed aliqua cum varietate:

Ἄσκει τὸν πρέχοντα πόδα, μέγα φέρ-
τατε λαῶν,
Μὴ λῦσαι, πρὶν γῆνον Ἀθηναίων ἀφι-
κέσθαι

Atque, ut ποδάονα non prorſus damnem, malim tamen πόδα tanquam exquiſitius, et, quia Euripides, qui oraculi verba quam maxime exprimere allaboraſſe videtur, ipſa hac voce utitur. Quum tamen Schol. Lycophr. 623. in libris Apollodori etiam ποδάονα legerit, mutare quicquam nefas putamus. Anton. Muretus, monente Barneſ. ad Euripid. l. l.

malit ποδεῶν' ω. φ. λ. ſine idonea cauſa. — Verba ἐς ἄκρον mihi redolere videntur gloſſema τῦ ἐς γῦνον, quod tanquam exquiſitius e Schol. Euripid. omnino praetulerim. Sic ſaepe apud Homer. occurrit γῦνὸς Ἀθηνάων pro Athenis ipſis. Apud Plutarch in Theſ. ubi idem oraculum exhibet, legitur δῆμον Ἀθηνῶν, ut δῆμος poſitus ſit pro χώρᾳ ex Homerica loquendi ratione, non male. Ceterum multo concinnius Aegio vertit h. vv. Muretus l. l.

Ne ſolvas ex utre pedem, qui prominet, ante
Cecropiae pingues quam ſis delatus in agros.

Sed hic finis eſto obſervationum in Apollodorum. Paucula tantum ex Homeri Odyſſea ſubnectere liceat. Odyſſ. Λ 371.

Εἴ τινας ἀντιθέων ἑτάρων ἴδες, οἵ τοι ἅμ' αὐτῷ
Ἴλιον ΕΙΣ ΑΜ' ΕΠΟΝΤΟ.

Offendit repetitum ἅμα. Quid ſi legatur

οἱ

ὅι τοι ἅμ' αὐτῷ
Ἴλιον ΕΙΣΑΦΙΚΟΝΤΟ.

Odyſſ. M. 254.

Ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προβόλῳ ἁλιεὺς περιμήκεϊ ῥάβδῳ
Ἰχθῦσι τοῖς ὀλίγοισι δόλον κατὰ εἴδατα βάλλων
Ἐς πόντον προΐησι βοὸς κέρας ἀγραύλοιο,
Ἀσπαίροντα δ' ἔπειτα λαβὼν ἔρριψε θύραζε.

Antecedunt ἰχθῦς πληθυντικῶς, et comparatio inſtituta eſt cum ſociis a Scylla devoratis, adeoque pluribus, ideoque malim

ΑΣΠΑΙΡΟΝΤΑΣ ἔπειτα λαβὼν ε. θ.

Odyſſ. O. 298. de Telemacho, Echinadas praetervehente:

Ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπρόεηκε θοῇσιν

pro θοῇσιν malim

ἐπιπροεηκ' ὀλοῇσιν

Hae enim inſulae Telemacho erant pernicio-

niciosae, quod ibi proci ei insidias struxerant.

Atque ita tandem desino, cum jamdudum in Tua, Vir humanissime, tempora peccasse videor, qui Te, tantis iisque longe gravioribus districtum negotiis, hisce nugis interpellare ausus fuerim, cujus tamen rei me veniam abs Te impetraturum, insignis Tua me sperare jubet humanitas.

In

IN

CATVLLI

EPITHALAMIVM PELEI AC THETIDOS.

Catulli Epithal. aliquoties emendatum atque illuſtratum.

v. 12. Quae ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit aequor
Tortaque remigio ſpumis *incanduit* unda,
Emerſere *feri* candenti e gurgite vultus
15. Aequoreae monſtrum Nereides admirantes.
Illa atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore nymphas.

Totum locum Catulli dedi, ut quivis hos vv. melius contendere poſſit cum loco, nulli *intpp.* hactenus, quantum quidem ſciam, indicato Apollon. Rhodii I. 540, quem propterea huc transferre non gravabor:

Ὡς ἀρ' ὑπ' Ὀρφῆος πιθάρῃ πέπληγον ἐρετμοῖς
Πόντε λάβρον ὕδωρ, ἐπὶ δὲ ῥόθια κλύζοντο
Ἀφρῷ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κελαινὴ κήκιεν ἅλμη
Δεινὸν μορμύρεσα ἐρισθένει μένει ἀνδρῶν
— — μακραὶ δ' ἄιεν ΕΛΕΥΚΑΙΝΟΝΤΟ κέλευθοι.
— — — — —
Πάντες δ' ἐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ΗΜΑΤΙ ΚΕΙΝΩι
Νῆα καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ' ἄριστοι
Πόντε ἐπιπλώεσκον. ἐπ' ἀκροτάτοισι δὲ Νύμφαι
Πηλιάδες κορυφῆσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι
Ἔργον Ἀθηναίης.

Lectio *incanduit*, pro qua alii exhibent *incanuit*, Apollonii λευκαίνεσθαι et Homer. Odyſſ. M, 172.

λεύκαινον ὕδωρ ξεσῇς ελατῇσιν

ſtabiliri poſſe videtur, niſi quem offendat hoc, quod in ſequenti v. ſtatim *candenti*

denti e gurgite recurrat. Ideoque praetulerim alteram lectionem *incanuit*, quod poetis eadem notione τῷ *albescere* ponitur. Sic *nives* Claudiano Consul. Olybr. et Prob. v. 270 dicuntur *canae*, *pruina cana* Petron. Satyr. c. CXXII. Virgil. Georg. II. 376. montes cani sc. nive Georg. I. 43. et sic passim. Nonnunquam vero has voces librariorum culpa invicem commutari notavit Heins. ad Sil. X. 205. ad Ovid. I. II. Fast. v. 109. — Deinde conjectura Vossii pro

Jlla atque alia — luce,

legentis

Jllaque haudque alia — luce,

unice confirmatur verbis Apollonii ἤματι κείνῳ; Ceterum τὸ *feri* adject. τῷ vultus mihi in mendo cubare videtur. Quis enim h. l. *Nymphas* ob mare ratibus pervium factum *iratas* serio putabit? id quod de Neptuno bene locum haberet. Melius forsan sic explicari potest, eas ideo *feras* dictas esse, quia in piscem desinerent; sed

ſed tum obſtat vultus. Erat, cum nymphas muſco circumdatas adeoque *vultu horridiori* cogitarem; niſi hoc paulo longius petitum videatur. Certe Voſſii interpretandi ratio, qui *feri vultus* in caſ. 2. accipit, et ad *monſtrum* refert, nullo modo ferri poteſt.

v. 105. Nam velut in ſummo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram *ſudanti* corpore pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:

Pro *ſudanti*, quod, ſi de *reſina*, quam quercus emittit, explices, quam maxime alienum ab h. l. eſt, cum proceras arbores deſcribere voluerit Catullus, lego

nutanti corpore (ſ. vertice) pinum

ipſe Catull. infra v. 291. habet *nutantem platanum*. Manil.

Manil. I. 3.

ad virides nutanti vertice ſilvas
Hoſpita ſacra ferens.

uti egregie emendavit Gronov. in Obſſ. l. I. c.

Deinpe pro

lateque et cominus

cum *cominus* h. l. quam maxime frigeat lego atque diſtinguo

late, quae *cornibus* obvia, frangens.

Cornua de arborum ramis dici poetis, probare ſategerunt vv. DD. Id quod fraudi fuit ut vocem a ſe non intellectam ejicerent.

v. 229. Quod tibi ſi ſancti conceſſerit incola Itoni
Quae noſtrum genus et ſedes defendere *fretis*
Annuit.

Omnes Mſſ. *freti* exhibent, unde fecit Scaliger *fretis*, ſed *fretis* nulla, niſi e longinquo petita, ratione explicari poteſt, ideoque, Codd. lectioni magis inhaerens, ſcribendum puto et

et ſedes defendere *creti*

h. e. Theſei, filii mei regnum. Eandem vocem librariorum ſtupore exturbatam reddidit Statio Schrader. V. Cl. in ejus Emendatt. Favet emendationi meae antec. *noſtrum genus.*

v. 306.

Quum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.

Mireris *intpp.* quosdam h. l. Parcas oeſtro enthuſiaſtico correptas, inductos in hanc opinionem verbis:

quatientes corpora motu

cum *quati* de vaticinantibus dicatur. At, cum Parcae nusquam *κρατὰ σείσαι* et ſim. dicantur, alia interpretandi h. v. ratio iniri debet, ita, ut *quatere corpus motu infirmo* exquiſitior ſit dictio pro *movere corpus infirmum*, *incedere infirmo*, *vacillante pede* quod quidem poſitum eſt, pro *eſſe infirmum.* Et hoc optime

me convenit Parcis quippe ſenilibus. Lycophr. 144.

Γυιαὶ γὰρ ἐυνασῆρες ἀμυάμοι τριπλαῖς
Πήναις κατεκλώσαντο.

et v. 585.

Καὶ ταῦτα μὲν μυταίσι χαλκέων πάλαι
Στρομβῶν ἐπιῤῥοίζουσι γηραιαὶ κόραι

Scholiaſtes ibi argutatur, Parcas ideo γυιὰς fingi, quod ſint χωλοποιοὶ h. e. βλαπτικαὶ. Nec meliorem explicandi rationem iniit Euſtath. ad Homer. Iliad. I. — διὰ τὸ ἀνόμοιον τῆ μοιριδίου καὶ ἀνόσιον καὶ ὑποσκάζον, καὶ ὀκλάζον, καὶ μὴ ὡσαύτως βαίνον.

v. 345. Quum Phrygii Teucro manabunt ſanguine rivi.

Magna eſt in h. v. Codd. varietas. Edit. Rom. pro *rivi* exhibet *campi*. At, cum pro *Teucro* Codd. offerant *tenero* et *teneri*, malim equidem

Quum Phrygio tepidi manabunt ſanguine campi

Huic emendationi favet locus Statii Achill. I. 84.

Quum tuus Aeacides tepidos modo ſanguine Teucro
Undabit campos.

Lectionem vero *rivi* ideo damnandam duxerim, quod paulo poſt de fluviis ſermo fiat v. 360.

Cujus iter caeſis *anguſtans* corporum acervis
Alta tepefaciet permiſta flumina caede.

ubi pro *anguſtans* malit. Burmann. ad Lotich. I. X. 25. e Codice ſuo *auguſtans* h. e. *majorem proferens*, cui vero lectioni vulgata praeſtat. Virgil. Aen. V. 805. de eodem Achille

gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam, atque evolvere poſſit
In mare ſe Xanthus.

Stat.

Stat. Achill. I. 85.

modo craſſa exire vetabit
Flumina.

ſecuti Homer. Il. Φ 219.

Οὐδέ τί πη δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν
Στεινόμενος νεκύεσσιν.

v. 404.

Ignaro mater *ſubſternens* ſe impia nato. *ſe obſternens* malit C. Barth. e membran. Palatt. a ſe olim collatis, ad Theb. II. p. 596. quae lectio, quid ſibi velit, adſequi non licet. *Pudicitiam ſuam alteri ſubſternere* dixit ſimili modo Sueton. Aug. 68.

IN

P. PAPINII STATII ACHILLEIDA.

Cap. I.

Saepenumero miratio me ſubiit, tam varias, tamque diverſas de Statiano ſcribendi genere Virorum doctorum extitiſſe, et etiamnum extare ſententias, cum alii Papinium nimiae tumiditatis ſtudiique anxie imitandi alios et cujus rei non? accuſantes, poetis infimae ſortis accenſendum ſtatuant; alii contra, poetae abrepti ſtudio, eum non tam exculandum, quam potius, ob phantasmatum, ſpiritusque paulo erectioris vigorem, feliciſſimis poetarum, quos unquam Latium protulit, ingeniis aequiparandum clamitent. Quarum quidem diverſarum opinionum cauſas indagare, easque ſub ſeverioris judicii normam revocare, nunc quidem nobis non eſt animus. Ejusmodi tumorem, et in ſono quidem, in verſu primo Achilleidos.

Magnanimum Aeacidem, formidatamque Tonanti
invenire ſibi viſus eſt Scalig. Poetic. II. c. 32. cujus tamen nimiam κρίσεως ſubtilitatem inſigniter caſtigavit acumen Barthii ad h. l. quem pluribus hac de re diſſerentem vide ſis. Alio nomine principium Achilleidos displicuit Cupero Apotheoſ. Homerica p. 97. "quod non exemplo vatis Maeonii unam actionem, ſed univerſam Achillis vitam perſequendam carmine ſibi propoſuerit. Sed et de argumenti propoſitione accurate diſpiciemus tum demum, ubi in recenſendo poeta noſtram collocabimus operam. Interim hanc promulſidem criticam juvat proponere, quam ut viri intelligentes ac periti Critices aequi bonique conſulant, vehementer cupio.

v. 3. quanquam acta viri multum inclyta cantu
Maeonio; ſed plura *vacant*.

Sic plerique vett. libri Rom. Venett. Aldd. Gryph. unde et in alias fluxit editiones.

ſiones. At *vocant* exhibent Codd. Pithoei, et alii teſte Bernartio. Eandem lectionis varietatem margini edit. Pariſ. adnotavit Burmann. Sec. et alius V. D. ad Lugd. edit. Solemnis eſt harum vocum permutatio. vid. Heinſ. adverſ. l. IV. c. III. p. 514. Markland. ad Stat. Silv. V. 2. 327. Burmann ad Proper. II, 23. 37. Sic in Stat. Theb. I. 327. ſive hac immota vocabat, Cod. Caſſellanus habet vacabat. Eadem variatio occurrit Theb. VIII. 186. Parum quidem referre videtur; utrum legas, niſi τὸ *vocant* tanquam exquiſitius vocabulum et ποιητικώτερον praeferre malis. Sic. Tibull. II. v. 42.

Jam vocat errantes hoſpita terra deos.

labor nos vocare dicitur Statio Achill. I. 538, quem libenter ſubimus. cf. Senec. Hippolyt. v. 37. Troad. 815. Pariter fere Pindarus Pyth. ζ, 11.

ἄγον —
τι δέ με πέντε μὲν Ἰσθμοῖ
Νῖκαι

h. e. impellunt me ad canendum, nec abſimili modo ἀιτεῖσθαι Iſthm. H, 10. Sed ſi locum paulo accuratius excutias, *vocant* unice huic loco convenire videtur, cum poeta non tantum ea, quae *vacabant*, h. e. intacta ab Homero relicta erant, ſed etiam ea, quae jam ab Homero carmine comprehenſa erant Achillis acta deſcribere ſibi propoſuerit. Nam ſequitur:

nos ire per omnem
Sic amor eſt, heroa velis.

h. e. non aliquam inde particulam decerpere, ſed omnem de Achille hiſtoriam perſequi, uti jam recte explicavit Heyne V. S. in Obſſ. ad Tibull. IV. I. 175. ubi apte laudat illud Ovidii Faſt. I.

Annue conanti per laudes ire tuorum

Deſumta videtur haec loquendi ratio a Graecis. Sic enim Pindar. Pyth. H, 97. utitur ἀμφινεῖσθαι pro vulgari ἐπέρχεσθαί τι

Κατὰ

Κατά τιν' ἁρμονίαν βλέπειν
'Αμφ' ἕκαστον ὅσα
Νέομαι.

ibid. v. 45. ſimili fere modo:

τόδ' ἐν ποσί μοι
Ἴτω τρέχον τεὸν χρέος

et Pyth. B. 113.

Εὐανθέα δ' ἀναβάσομαι
Στόλον, ἀμφ' ἀρεταῖς
Κελαδέων.

v. 6. nec in Hectore *tracto* ſiſtere, ſed tota juvenem deducere Troja. Neſcio, in quas editiones inciderit, ſive potius memoriae lapſu ita hunc locum laudaſſe dicendus eſt Cuper. in Apoth. Hom. l. l. qui pro tracto legit *fracto*, licet non ignorem, Codd. ſemper fere has voces turbare. Sic in Theb. II. 146.

at Inachio tenuis ſub pectore regi
Tracta quies

Codex Taurinenſis habet *Fracta* quies, quod praeſtat vulgatae lectioni, niſi ma-

lis mecum *rapta* vel *rupta* ob ſeqq. dum mente deos, inceptaque verſat

Hoſpitia.

ibidem malim *tenuior* ſub p. r. ut melius reſpondeat anteced.

— — — illos poſt verbera feſſos
— — cornu perfuderat omni
Somnus.

Sed, ut in viam redeam, dubitari nequit, quin vulgatum tracto alteri τῷ fracto praeſtet, cum h. l. de Hectore currui adligato et circa Trojam raptato ſermo ſit; et accedit, quod fractus dicatur de hoſte tantum debilitato atque infirmato. Cic. epiſt. IV. 7. Victi ſumus igitur, aut, ſi dignitas vinci poteſt, *fracti* certe et abjecti. cf. Schwarz. ad Paneg. II. Mamert. III. 8. Ceterum notandus eſt hic error Scholiaſtae Lactantii, qui haec ita interpretatur: *Siſtere, tacere.* Homerus enim usque ad Hectoris mortem deſcripſit Iliados (ſc. libros) et *tacuit.* Sed eum in viam jam reduxit Barthius.

Poe-

Poetae nimirum ea, quae ab aliis facta enarrant, ipsi facere dicuntur. Propert. II. 1. 17.

Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manus.

cf. Broukh. et Burman. ad Propert. I. 7. 1. et quos ibi laudat. Sic paulo ante *proferre* pro quo Horatius eadem in re dixit proripere I. 8. 13. seqq.

Quid *latet* ut marinae
Filium dicunt Thetidos —
— — —. ne virilis

Cultus in caedem et Lycias *proriperet* catervas, et v. s. *deducere* fere ut apud Euripid. Bacch. v. 85.

Ἴτε, Βάκχαι
Λιόνυσον καταάγεσαι
Φρυγίων ἐξ ὀρέων

h. e. canentes ut deductus sit Bacchus, i. e. ut orchia Bacchi e Phrygia in Graeciam translata sint. Eadem loquendi ratione poetae conditores atque restaura-

tores urbium dicuntur, quas, excidia ipſarum et fata decantantes oblivioni eripiunt. Notiſſimus hac de re eſt locus Propert. laudatus:

Dum tibi Cadmeae ducuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae triſtia militiae;

licet ibi praeferre malim vulgat. dicuntur, quod melius conveniat verſui ſequenti, licet alterum ſit doctius. Sic in Catalect. Pithoei:

Ilios en ſurgit rurſum inclyta.

Noſter Achill. I. 13.

meque inter priſca parentum
Nomina, cumque ſuo numerant Amphione Thebae

ubi nonnulli Codd. *memorant* variatione ſolemni. Vide Beverlandi Varr. Lect. ad Martial. quae habentur i.. Stoſchii Muſeo Critic. T. I. In loco tamen Statii Theb. III. 165.

miſerandaque funera paſſi.

retinere malim *numeranda*, quam lectionem

nem ingenti conſpiratione exhibent ſcripti Codd. teſte Gronov. cui tamen arridet Gruteri conjectura legentis:

muſſandaque funera paſſi

qui meminiſſe debebat funera numeranda dici h. l. *ignobilia*, mortem ignobilem, cum in inſidiis nec in acie occubuerint. Sic *numerus* ſaepe latinis. Lactantius interpretatur ſic: qui inter paucos nec in magno praelio concidiſtis: recte ex parte.

v. 9. — ſi veteres digno deplevimus hauſtu

Da fontes mihi, Phoebe novos,

deplevimus omnes libri ſcripti atque impreſſi. Vnus Guelpherbytanus *complevimus*, quam lectionem quoque Scholiaſtes vetus, a Dommerichio, ſcholae Brunſvicenſis rectore quondam, in lucem protractus, agnoſcit, qui explicat, *complendo perfecimus*, cui lectioni nonnihil favere videatur locus Corippi Paneg. in laudem Iuſtini v. 36.

Quid

Quid Libycas gentes, quid Syrtica
proelia dicam
Jam libris *completa* meis. —

niſi ibi malis *contexta*, ſeu potius *complexa*. At quis dictionem ſibi repugnantem ferat hauſtu complere fontes, cum ſenſus exhauſtos fontes poſtulet: quae quidem notio ſubeſt τῷ *deplere*. locum Manilii l. IV.

Solvite, mortales, animos, curisque levate
Totque ſupervacuis vitam *depletæ* querelis

jam adduxit diligentia Barthii. Eadem notione
Ovidio τὸ *implere* in uſu eſt. Metam. VIII. 662.

Talibus atque aliis longum ſermonibus illi
Implevere diem.

quem locum Burmannus ὁ πάνυ adducit ad ſtabiliendam Gebhardi explicationem τῷ *explere* apud Propert. II. 13, 60.

quo-

quoties deſertus amaras
Explevi noctes.

Eadem eſt apud Graecos loquendi ratio. Homer. Odyſſ. V. 206.

ὅσσα τοι ἄλγεα
Κήδε' ἀναπλῆσαι

quantae tibi aerumnae implendae, exhauriendae ſint.

v. 9, 10. — neque enim Aonium nemus
advena pulſo
Nec mea nunc primis *albeſcunt* tempora vittis
Scit Dircaeus ager.

Poeta ait, ſe non nunc primum lucos Muſarum ingredi, nec poetarum lauro nunc primum cingi, imo vero ſe jamdudum multa molitum eſſe. Et hujus quidem rei probandae cauſa, in teſtimonium vocat Thebaida a ſe confectam. In verbis haerent interpretes. Bernartius lectionem quorundam Codd. a ſe inſpectorum *angueſcunt* tanquam elegantiſſimam praefert vulgatae, *quia inſtar anguium*

guium vittae dependebant. Ferrem ſane, ſi h. l. ſermo eſſet de Furiis,

quibus *anguineo* redimita *capillo*
Frons exſpirantes praeportat pectoris iras

ut cum Catullo loquar. Idem contra Bernartium video jam monuiſſe Gronovium. Ne illud tangam, quod novum atque inauditum ſit Latio verbum *anguescere.* Vulgatam quoque deſeruiſſe video Andr. Schottum Obſſ. hum. 2, 45. legentem *augeſcunt*, uti clare exhibet Cod. Pithoei. Equidem non aſſequor, cur in vulgata lectione *albeſcunt* haereant v. v. DD. quae eſt haud dubie doctiſſima. *Albent*, *albeſcunt tempora*, eſt exquiſitior dictio pro vulgari *cincta ſunt vittis niveis.* Hauſit hanc, ut plurimas alias loquendi rationes e Pindaro Iſthm. Δ. 117.

Ἔνθα λευκωθεὶς κάρα
Μύρτοις ὅδ' ἀνὴρ διπλόαν
Νίκαν ἀνεφάνατο

praeclare ibi Heynius: Myrtorum pallorem

rem

rem exprimit praeclare poeta in λευκωθεὶς prò στεφανωθεὶς. infra I. 610. *tempora* dicuntur *flaventia vittis purpureis — Scit Dircaeus ager.* pro *Scit* nonnulli *ſit.* variatione ſolemni. vid. Dorvill. ad Charit. *Scire* pro: *teſtem eſſe* frequenter poetis dicitur, inprimis apud Statium e. g. Theb. II. 108. V. 456. vide, ſi tanti putes, Burmann. ad Grat. Faliſc. Cyneg. 202. Graecis idem uſus eſt τῇ εἰδέναι. Euripid. Phoeniſſ. 1671. Jphig. in Aulid. 970, et 1414. et ſic ſexcenties, inprimis in formulis jurisjurandi Homericis: ἴσω νῦν. Haec vix monenda ducerem, niſi Barthium in ſententia horum verborum conſtituenda quam maxime hallucinatum eſſe deprehenderem. Sic enim ille: *egregia vero, cujus incolas convitiis atrocibus per totam Thebaiden diſtringit.* Peſſime et contra omnem orationis συνάφειαν, et Statiani ſermonis indolem. Ceterum totum hunc locum Papinii inde a. v. 8-12. aperte imitatus

tatus eſt Anonymus in laudes Herculis ſtatim ab init. ſed ita, ut ſequioris aevi notas in his verſibus facile agnoſcas:

huc, age, Phoebe
Te conjunge choro, penetralia ſancta deorum
Et *nova* Caſtalios latices *per rura* petentem
Me fac. namque tuam *non nunc novus advena* turbam
Ingredior, laurosque gerens, et tempora ſertis
Tempora vincta tuis, doctorum numera vatum,
Teſtor adhuc *veteres*, quamvis deſuetus, *honores*.

v. 83. — — — conſultaque bella
Iupiter, et triſtes edixit *caedibus* annos.

In nonnullis vitioſe extat *ſedibus* pro *caedibus*. Quae verba ſaepius inter ſe permutantur. vide, quos teſtimonium dicere jubet Drakenb. ad Sil. Ital. III. 617.

Ce-

Caeterum Noſtri locum imitatus eſt Claudian. in Laudd. Serenae v. 27.

Et totidem *ſaevi bellis*, quot fluctibus, *anni*
Conjugii docuere fidem.

quem locum non tam temere tentaſſet Markl. ad Stat. Silv. III. v. 7. conjiciendo:

Et totidem *emenſi* bellis, q. f. anni.

ſi noſtri locum reſpexiſſet.

v. 86. Quum tuus Aeacides tepido modo ſanguine Teucros
Vndabit campos.

Haec eſt vulgata librorum lectio. Edit. Rom. et Venett. legunt

tepidos modo ſ. Teucros.

Quam ſcripturam jure improbat V. D. in Miſcc. Obſſ. Belg. T. I. Vol. 2. p. 75. ex eaque effingit.

Q. t. A tepido modo ſ. Teucrûm.

non male, niſi *tepido* paulo languidius ſic poſitum videatur. Equidem malim ſequi lectionem Codicis Ms. Collegii Petri

tri Tiliobrog. et aliorum; quae eſt multo elegantior, atque doctior:

Cum tuus A. *tepidos* modo ſanguine *Teucro*

Teucer ſanguis pro *Teucrorum* ſ. fere ad Catull. epithal. Pel. 345.

Non illi quisquam bello ſe conferet heros
Quum Phrygii Teucro manabunt ſanguine campi.

cf. tamen, quae ſupra monui ſuper h. l. Pro *tepidos* exhibet edit. Pariſ. cum aliis *trepidos*, ſolemni harum vocum confuſione. vide quos ſiſtit Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 182, Heyn. V. Ill. ad Virgil. l. mox laudandum. Et ſane, ſi huic lectioni addicant Codd., habet illa, qua ſe commendet quam maxime. Poetis nimirum ea *tremere*, *trepidare* dicuntur, *quae concitato motu aguntur*. Sic Virgil. Georg. I. 296. de aqua bulliente

Et foliis undam *trepidi* deſpumat aheni.

Cam-

Campi vero ipſi *ſanguine trepidi* dicuntur, eleganti inverſione poetica pro *ſanguis per campos citato modo fluit.* Jam vero facile quisque videt Homericum illud:

δάπεδον δ' ἅπαν αἵματι θῦεν

pro: *ſanguis concitate fluebat per ſolum.* — Ceterum *undabit* in Statio poſitum eſt pro *inundabit*, uti in Silv. II. 6. 26.

ſi vel fumante ruina
Undaſſent dites Veſuvina incendia Locros

uti egregie emendavit Marklandus, cum ante ſine ullo commodo ſenſu legeretur, *ructaſſent.*

l. 100. Ter conata manu, liquidum ter greſſibus aequor
Reppulit, et niveas feriunt vada Theſſala plantas.

Gronovius e membranis, ut ipſe ait, bonae fidei reponere malit *impulit*, non male. Siquidem *terra quati*, *impelli*, *commoveri* poetis dicitur, quatenus per eam

eam incedimus; inprimis ſi deorum inceſſum cogites, ſub quorum pedibus τρέμε δ' ἄρεα μακρὰ καὶ ὕλη. Et huic lectioni Burmannus quoque calculum ſuum addidiſſe videtur, adſcripto editionis ſuae margini loco Claudiani de Rapt. Proſ. II. 1.

Impulit Ionios praemiſſo lumine fluctus

Poſſent et plura exempla e Virgilio (e. g. Georg. I. 254. IV, 305.) et aliis addi, quae aliquam ad hanc confirmandam lectionem, poſſent vim habere. Sed h. l. ſermo eſt de *dea* et quidem *marina*, quae ſemper poetis *natans* nec vero per aequor incedens depingitur. Infra I. 382. de hac ipſa dea

— — — longe *cervice reflexa*
Abnatat, et blandis affatur littora verbis.

Jam vero multo majori cum dilectu poſitum vides *reppulit*, quod egregie *niſum natantis* depingit. Accedit, quod Statius

us aperte imitatus ſit Virgil. Georg. IV. 233.

— — ſimul os terris oſtendit honeſtum
Plias, et Oceani ſpretos *pede reppulit*, amnes.

Ceterum obſerva ſummam Thetidis celeritatem ad avertendam, quae filio imminebat, mortem praematuram; quae quidem diis cum maxima a poetis tribuitur, ſi in mora eſt periculum. Splendidiſſimus hac de re locus extat Homeri Il. N. 20. quem haud dubie Papinius ob oculos habuit, de Neptuno Achivis auxilium ferente:

Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰὼν, τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ
Αἰγάς.

Pindarus de Apolline Aeſculapium ex utero Coronidis pyrae flammis jamjam corripiendae, auferente Pyth. Γ, 75.

— — βάματι δ' ἐν
Πρώτῳ νιχὼν παῖδ' ἐκ νεκρᾶ
Ἅρπασε

Alia huc ſpectantia obſervavit pro more ſuo Heyn. ad Virg. Aen. I. excurſ. XIII. — Egregie quoque expreſſit poeta adceſſum Thetidis ad Theſſaliae littora his verbis:

et niveas *feriunt* vada Theſſala plantas.

ubi *τὸ feriunt* gravius dictum pro: *alludunt*, quo uſus eſt Theb. IX. 333.

— — extremis *adludunt* aequora palmis

Catull. epithal. Pel. 63.

ante pedes fluctus ſalis *alludebat*

Pari notione *τὸ ferire* venit Propert. III. 15, 12.

Et *feries* nudos veſte fluente pedes.

et *flagellare* Martiali ſimili fere modo:

— — — mollesque flagellent Colla comae.

I. 116. *Haec quoque dum* viridis, nam *tunc* labor unus inermi
Noſſe ſalutiferas *dubiis* animantibus herbas.

Pro

Pro *dum* habent alii *tum*, pro *tunc* alii *tum*, *nunc* ſollemni confuſione. Ex priori varietate facile adparet, Scholiaſtas et interpretes in ſenſu conſtituendo quam maxime fluctuaſſe. Qui *tum* legunt, explicant: *Haec quoque* ſc. domus Chironis *tum erat viridis*, *herbis conſita*. Eodem modo accipiebat Burmann. Sec. qui tamen vulnus altius h. l. inflictum putabat, cui ſic mederi conabatur:

Herbaque tum viridis nam*que huic*
labor unus inermi
Noſſe —

Altera tamen explicandi ratio, ſi *dum*, quod eſt plurimorum Codd. lectio, praeferatur, multo magis adridet, qua ſic conſtituenda eſſet ſententia: Haec *quoque* ſc. agebat Chiron, h. e. venationi quoque deditus erat (e verſu antec.

Sed pharetrae inſontes et inania
terga ferarum)

dum erat *viridis* ſc. aetate ἐν ἀκμῇ; ἡβῶν, nam nunc illi *inermi* h. e. ſeni

labor unicus erat noſſe herbas. Vel ſic tamen illud *quoque* languet, et ſequens nam requirit aliam particulam, cui melius reſpondeat. Lege igitur mecum

Haec *modo* dum viridis, nam nunc labor unus inermi
Noſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas.

Iam nihil reſtat, quod offendere poſſit aliquem. animantia *dubia* ſunt, quae in diſcrimine mortis verſantur. Terent. Andr. II. 2.

Mea quidem hercle certe *in dubio* vita eſt

ubi pluribus hunc loquendi morem adſeruit Weſterhov. quem vide ſis. Tibullo *rates* dicuntur *dubiae*, quae ventis ac fluctibus agitantur.

I. 155.

Inſidias et bella parant, tumidique minantur

Tota Chironis oratio eo ſpectat, ut Thetidi Achillis pueri fortitudinem vividiſſimis

mis depingat coloribus, commemorat hanc ob cauſam Centauros in fugam ab Achille conjectos, eorumque domos atque armenta raptas. At quid nunc Centauri?

Inſidias et bella parant, tumidique minantur.

Hanc ſententiam lector paulo attentior, inter commemoratas Achillis virtutes vix exſpectet. Accedit, quod omnem hujus v. cum antecedenti nexum Grammaticum deſideres. Et, qualis tandem commoda exit ſententia, ſi antecedentia ſpectes, *Centauri, qui antea conqueſti tantum fuerant apud Chironem de injuriis ab Achille ſibimet inflictis, ſeque adeo impares ad congrediendum cum Achille profeſſi* fuerant, *illi jam bella parant.* Quam languidum et hoc, *minantur tumidi*, cum jam *bella paraturi* dicti ſint. Meo ſane qualicunque judicio hic verſus, a Grammaticis, qui Centaurorum partes ſusciperent, nimis jejune inſertus, exulare debet.

I. 209.

— — — duros laxantem Aegaeona nexus
Miſſa ſequi centumque *dei* numerare catenas.

Gigantas *deorum* nomine fuiſſe inſignitos, vix ullibi legas, ut h. l. Aegaeon. Αἰγαίωνα quidem inter deos recenſitum invenias, ſed tum eſt numen marinum, et quidem Neptunus. vid. Heſych. et Eudoc. in Dictionar. Hiſtorico Mythol. h. v, cui cognomen obvenit ab Aegis, ubi praecipue colebatur, uti ex Homero et aliis liquet. Poſſis vero *dei catenas* quodammodo ſic interpretari, ut dicas catenas dei eſſe a deo fabricatas, aut Aegaeoni a deo (ſc. Vulcano) circumdatas. Sed nomen *dei* ſic abſolute poſitum admodum durum videtur. Equidem pro *dei* legendum puto

centumque *feri* numerare catenas.

Θῆρες enim illa monſtra recte dici poſſunt, et paſſim hoc nomine veniunt poetis.

I. 290.

I. 290 de Lycomedis filiabus:

Omnibus eximium formae decus —
— — — — *annique tumentes:*

alii *animique tumentes.* ſollemni confuſione. Hoc loco vero *anni* vera lectio, id quod vel adj. *tumentes* declarat. *Tumere* de pubertate poetis dici, notiſſima res eſt. Metaphora repetenda eſt a pomis maturis, ut Barthius vult, vel a vaſe, unde aqua intumeſcens ebullit. Sic apud Pindar. Pyth. IV. 281.

Σὸν δ' ἄνθος ἥβας ἄρτι νυ-
Μάϊνει

et paulo poſt v. 318. de Mercurii filiis:

Τὸν μὲν Ἐχίονα, κε-
Χλαδόντας ἥβᾳ, τὸν δ' Ἔρυτον.

I. 332.

Qualiter *artificis victurae* pollice cerae
Accipiunt formas ignemque manumque *ſequuntur*

artificis pollice eſt communis fere librorum lectio, quae ſane ferri poteſt. Non

 diffi-

diffiteor tamen, mihi multo magis adridere, quod in quibusdam legitur *artifici* v. *pollice* tanquam exquisitius. Sic *artifex manus* Ovid. Trist. II. 522. *forma* Propert. I. 2. 18. IV. 3, 62. *vultus* Persio. Vide omnino Marklandi notam ad priorem Propertii locum in Comentario Burmann. Sec. et Nic. Heins. in advv. II, 6. p. 246. — Pro *victurae* in nonnullis videre licet *junctturae*, cui vulgata praestat; *vivunt cerae*, *imagines cereae*, quae ad vivum expressae sunt. Exempla hac de re satis sunt obvia. Ceterum eleganter cera manum et ignem sequi dicitur, quae facili opera quasvis formas accipit. Lucan. Pharsal. IX, 300.

non ocius Austro
Nix resoluta cadet, nec solem *cera sequetur*

Plin. ep. 9. 7.

Vt laus est cerae, mollis cedensque *sequatur*.

Per-

Perſius eadem ratione dixit hederas *ſequaces* in Prologo

I. 344.

Sic ubi virgineis Hecate laſſata *pharetris*
Ad patrem fratremque redit.

Ita uti nunc in omnibus libris legitur, comparatio inſtituta eſt cum Diana e venatione reduce facta. Sed, quominus mihi perſuadeam, nos veram tenere lectionem vetat Luctatius ad Theb. III. 422.

Taenariumque cacumen, Apollineasque *Therapnas.*

ubi notat Scholiaſtes: *Therapnae civitatis nomen eſt in Lycia, Apollini ſacra, nec a ſororis ejus religione diſſentiens, ut ipſe alibi:*

laſſata Therapnis,

Scholiaſten vero Noſtri locum hunc reſpexiſſe, dubitari nequit. Ex hac antiqua lectione illam alteram,

laſſata catervis

quam Burmannus libro ſuo adnotaverat, ortam puta, cum in margine adſcriptum eſſet: *catervis Therapnaeis.*

Colorem vero duxit Statius e Virgil. Aen. I. 498 - 503.

Qualis in Eurotae ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros. —

ad quem locum vid. Heyn. V. Ill. in Excurſ. XX. p. 129.

I. 412.

Ferret amor belli, *concuſſas*que *erigit* urbes.

Cod. Voſſianus *commotasque* erigit u. ex interpretamento. *Vrbs concuti* dicitur, quae e priſtina tranquillitate turbatur et novis rebus ſtudet; fere ut Graecorum σείειν. Euripid. Oreſt. 612.

Μολὼν γὰρ εἰς ἔκκλητον Ἀργείων ὄχλον
Ἔκλυσαν ἢ ἄκλυσαν ἐπισείσω πόλιν

Pindar. Pyth. IV. 484.

ῥᾴ-

ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ ἀφαυροτέροις.

contra vero *civitas tranquilla* dicitur Pindaro l. l. πόλις ϛαθεῖσα.

Virgil. Aen. XI. 451.

Extemplo turbati animi, *concuſſa*-
que vulgi
Pectora et *adrectae* ſtimulis haud
mollibus irae

pro *erigit*, in Cod. quodam extare *egerit* notavit Burmannus in libri ſui margine, quae lectio ſane nauci non eſt. Vrbs *egeritur* quatenus civibus, ad bellum euntibus *evacuatur*, *deſeritur*. Sic in Thebaide occurrunt *urbes egeſtae mortibus* et ſimil. Pari notione adhibuit *diffundere* poeta Theb.

totas diffuderat Argos
Fama — —

Nonnunquam vero has voces a librariis invicem commutari notavit Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 280.

ſub pectore murmur

Torquet, et horriſonis ululatibus
erigit iras

et Burman. ad Valer. Flacc. VI. 186. Vulgatam tamen h. l. praeferre malim, quae melius convenit τῷ *concuſſas*. *Vrbs erigitur*, quae nova fama ſtupefacta e priſtina quiete turbatur. Eadem eleganti notione Graecis eſt ἀναπτερῶν. Euripid. Oreſt. 873.

Τί καινὸν Ἄργει, μῶν τι πολεμίων
πάρα
Ἄγγελμ' ἀνεπτέρωσε Δαναϊδῶν
πόλιν;

Tacit. Hiſt. I. c. 31. Cohors turbidis rebus *erectior*, uti docte legendum conjecit Triller. in Obſſ. Crit. p. 246. ubi pluribus exemplis hunc loquendi uſum adſtruxit.

I. 459.

Euboicum *ſcandens* Aulis mare. Offendit Wernsdorf. V. Cl. (in Obſſ. ad Stat. in Stoſchii Muſ. crit.) το *ſcandens*, pro quo levi immutatione facta legi

legi jubet. Eub. *ſcindens* A. m. Ingenioſe. Sic Senec. Herc. Oet. 774.

Euboica tellus vertice in medio tremens
Pulſatur omni parte, Phryxeum mare
Scindit Caphareus.

et ſic ſaepe apud poetas. Poſſit etiam aliquis in emendando paulo calidior legendum ſuſpicari *ſpectans*. Senec. Herc. Oet. 102.

Qua templa tollens ara Cenaei Iovis
Auſtro timendum *ſpectat* Euboicum mare.

Agamemn. 562.

Arx imminet praerupta, quae *ſpectat* mare
Vtrinque geminum.

aut *findens* ut apud Senec. Herc. fur. 336. Sed admodum vereor, ne quid inde lucretur Statius. Veriſſima eſt haud dubie lectio *ſcandens*. *Scandere* enim exqui-

quiſite de quavis alta mole dicitur, quae, movendo ſe, omnia transſcendere videtur. Sic equus Trojanus inſtar montis apud Virgilium:

ſcandit fatalis machina muros

h. e. intrat urbem per eam muri partem, quae disjecta erat. Neque audiendi *Interpp.* qui *muros* de ruinis muri disjecti accipiunt. Hinc ad res inanimatas transſumtum eſt, (nam iis ſenſum ac motus tribui, pervulgatum, ſic arbor in auras exire dicitur et ſim. vid. Gronov. in Diatrib. Statt.) adeoque *ſcandere* bene de rupibus in altum procurrentibus dici poteſt. Ipſe Statius in Theb. II. 43.

Interiore ſinu frangentia littora curvat
Taenarus, expoſitos non audax *ſcandere* fluctus

cf. et Theb. VI. 256. Praeiverat Homer. Odyſſ. K. v. 4.

λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη

I. 476.

Quis

Quis enim Haemoniis in vallibus
alter
Creverit *effoſſa* reptans nive.

Effodere nivem vix quisquam in veteri Latio dixit, ita, ut reſponderet Ovidianae locutioni *exterere nivem* pro calcare nivem. Amorr. I. 9. 12.

Ibit in adverſos montes, duplicataque nimbo
Flumina, congeſtas *exteret* ille *nives*.

Et mireris ſane, interpretes ad unum omnes, h. v. ſicco, ut ajunt, tranſiiſſe pede, ſive quod eos non offenderit haec loquendi ratio, ſive inter Statiani tumoris exempla tacite retuliſſe videantur. Equidem, penſitatis omnibus, quae ad ſtabiliendam vulgatam lectionem poſſent adferri, nullam inveni rationem idoneam, in qua acquieſcere poſſim. Et huic quidem loco praeſentiſſimam, niſi me omnia fallunt, me adferre poſſe medicinam, eſt quod laeter. Legendum enim exiſtimo

Of-

Oſſaea reptans nive.

Oſſaea nive pro *in monte Oſſa.* Quae nec cui mira videatur loquendi ratio, age illam exemplis ex aliis et ex ipſo Statio petitis ſuperſtruamus. Ovid. Faſt. II. 275.

Cinctaque pinetis, nemoris juga Nonacrini
Altaque Cyllene, *Parrhaſiasque nives*

Virgil. Georg. IV. 518.

Solus *Hyperboreas glacies*, Tanaimque nivalem
Luſtrabat.

Ipſe Stat. Achill. I. 152.

Nunc illum non Oſſa capit, non Pelion ingens,
Theſſalicaeve nives.

eodem libro v. 605.

Ille ego — genuit quem caerula mater
Peliacis ſilvis, *nivibus*que immiſit alendum
Theſſalicis, ad

ad quem locum notandus eſt elegans uſus formulae τὸ *ille ego*, qua noſtram aliis dignitatem ac nomen commendare volumus. Pindar. Olymp. IV. 35. de Ergino victore

νικῶν
Δρόμου, ἔειπεν Ὑψιπυλείᾳ,
— — — —.

ΟΥΤΟΣ ΕΓΩ

Sil. Ital. X. 290.

nec manes tam parva intramus
imago

Ille ego.

Eandem vocem, ut in viam redeam, Propertio Burmannus egregius ejus ſoſpitator reſtituit. II. 2. 63.

Mercurio *Oſſaeae* fertur Boebeidos
undis

Virgineum Brimo compoſuiſſe latus, cum in Codd. *Sais*, *Satis* inveniſſet. Sed jamdudum video, quam mihi aliquis movere poſſit difficultatem, qui ex me quaereret, qua tandem ratione illud *eſſ*

in

in *effoſſa* tam temere in textum intrudi potuerit. Sed ratio eſt in promtu, eaque ſatis expedita. Grammaticus nimirum aliquis, Graece non indoctus adleverat libri ſui margini interpretationem *τῆ Oſſaeae nivis*, ita ut recte eam explicaret per ἘΠ' ΟΣΣΑι, quae verba vero, latinis, ut tum moris erat, depicta litteris, a librariis, cum neutrum intelligerent, tanquam verior, quippe obſcurior, lectio, in textum relata ſunt. Scriptum quoque forſan erat per Graecae linguae genii ignorantiam ἐφ' Οσσα, quod librarius, dictantis verba calamo excipiens in textum recepit. Nullus equidem dubito, quin hac ratione vera lectio ſaepius iverit deperditum, quam facili opera reſtituere potuiſſent VV. DD. ſi corruptelam ex hoc fonte ortum habere meminiſſent. Sic in loco Statii Silv. I. 6. 7.

Adſint, dum refero diem beatam
Laeti Caeſaris ebriamque *partem*

Mſ.

Mſ. Thomſoni exhibet teſte Gronov.

Laeti Caeſaris ebriamque *moeram* τὴν μόιραν portionem adſcripſerat aliquis margini ad explicandam notionem τῆς *partem* uti jam recte vidit. Gronov. in Diatrib. Stat. c. XII. cujus verba, cum mire ad meam confirmandam conjecturam valeant, huc transferre non gravabor: "Etſi plerumque librarii ἐκ τῶν ἀσαφε-„στέρων ἐς τὰ σαφέστερα labi ſoliti; non „dubitandum tamen, fuiſſe quosdam ru-„des, ac meticuloſos, qui, cum ex dua-„bus neutram intelligerent, id quod „ignotius, ſecretiusque erat, potius au-„ctoris eſſe crediderint, aut utramque in textu poſuerint.

Et haec quidem, e noſtris ad Statii Achilleida obſervationibus ſpeciminis loco propoſita ſufficiant, quas quidem, ſi haecce Heyniana diſciplina non prorſus indigna judicabuntur, cum ipſo textu ad Codd. nondum collatos a me recenſendo, proxime emittere apud animum meum conſtitui.